




J. A.
STAMENA GRYPHICUM,
Quo
NECESSITAS
GREIFESWALDENSIS
vel
GREIFESWALDIAE
*Anno liberationis suæ, post Christum natum
M DC XXXI. exprimitur,*
Descriptum.
a
NICOLAO MICHAELIS,
D. & Consule.

GRYPHISWALDIAE,
Typis GEORGII HENRICI ADOLPHI, Acad. Reg. Typ.



**SENATUI
POPULOQUE GREIFFES-
WALDENSI**

S.



I. N. D. J. C. & P. S. D. N.



GAMENA & STAMMA Græca sunt vocabula & minutiores vel viliores indicant monetæ sortem, adinstar Collybi, unde & collybi stæ nomen sortiti sunt, juxta Theophylactum in *Evangelist. Matth. cap. 21. fol. m. 35. fac. 1.* qui inquit colly-

bus etsi species vilis nomismatis, sicut habemus obulos & minuta: add. Theophylact. in *Johann cap. 2. fol. 153. fac. 2.* Et in horum suppositionem ex stanno conflata: Vid. Joh. Jacob. Hoffmann. in *Lexici Universalis continuat. voc. STAMENA.* Hæc vocis denominatio cum materiæ vilitatem , tum prohibitionis rationem suppeditat. *Stannum* enim Germanicè Zinn vel Tinn / est materia decidua, quæ facilius deteritur, & facit, si manibus frequenter teratur, ut sordescant & sic ut detritum signaturam facile amittat , quod originalia nummi nostri ad huc extantia loquuntur. Et mirari quis possit, quare Jobus c. 19. v. 24. Stylo ferreo in plumbo suos sermones sculpi optaverit. Mit einem eisern Griffel auf Bley gestellet ic. cum plumbum sit metallum corruptibile , sed vel juxta versio

A 2

nem

nem Sanctis Pagnini plumbi mollities opponenda
 Saxy duritiae, & legendum *Utinam inquam* stylo fer-
 reo aut in plumbum *aut certe* in perpetuum in saxum
 sculperentur, vel, juxta interpretationem doctissimi
Johannis Cocceji in d. l. cum stylo ferreo & plumbo
 quod fulcis literarum infundatur, ut rectius legi pos-
 fint. Quæ cum ita sint, & antequam planè pereant hæc
 nostra, vel memoria eorum intercidat; necessarium
 putavi, memoriam horum numismatum necessario-
 rum per typos stanneos renovare, & posteritati con-
 sideranda relinquere. **GRYPHISWALDIA** vel
GREIFESWALDIA, hujus stamenæ genetrix fuit
 emporium inter Hanseaticas, ne dicam Pomeranicas
 civitates haud infimum, nec minimum, nam quod in
 statu separato, ut loqui solemus, primas in hoc du-
 catu tenuerit, extra dubium versatur, *Stralsundium*
 enim, quod nunc directorium inter civitates nostras
 gerit, eo tempore sibi relictum esse malebat, & *Ste-
 tinum* Pomeraniae ulteriori tum temporis addictum
 erat, itaque **GRYPHISWALDIA** Pomeraniae citerioris ci-
 vitas prima vel primaria deprædicabatur, & tam lo-
 ci amoenitate ac studiorum celebritate, quam com-
 merciorum ubertate reliquis præpollebat; quod cum
 Vates Gryphiswaldensis celebris *Johannes Seccervi-*
tius in secundo Pomeraneidum libro Nuptiis Ducis no-
stri Pomeranici Wolgastani maxime inclyti ERNE-
STI

STI LUDOVICI & HEDWIGIS SOPHIÆ , Bruno-vicensis Conjugis ejus Charissimæ addicto epithalamio expresserit, ejus referam ad hoc verba. Ita ille:

Proxima subsequitur latis GRYPHISWALDIA campis
 Diffusoque lacu, latisque uligine rivis,
 Prata per & virides rivis tendentibus agros.
 Hinc populum cernas studiis frugalibus auctum
 Patriciaeque viros celebres à nomine stirpis
 Qui procul Hesperios pelago scrutantur Iberos.
 Et salis & piperis gratissima dona reportant.
 Tam latè pagis vicina per arva Senatus
 Imperat, ut multo dives Respublica censu
 Condat opes patrias ferosque reponat in usus.
 Fama est, hanc quondam navasse fideliter urbem
 Egregiae virtutis opem tenerosque tuendos
 Suscepisse Duces Patriæ, cum bella moveret
 Acer Obotritum Mavors invectus ab oris
 Hinc decus & tantæ virtutis præmia grati
 Indulgere Duces, pietasque experta periclis
 Profuit in longum jam deinde nepotibus ævum.
 Hanc sedem Nonus *Varslaus* in urbe Camænis
 Condidit, & Sophiæ qui pulchra reperta docerent,
 Jussit adesse viros opibus pretioque vocatos:
 Et graviter lapsum vindex pietate *Philippus*
 Extulit in melius, redivivaque stamina doctæ
 Contulit ipse scholæ venturi providus ævi

A 3

Tu



Tu quoque tu curas *Ernesto* imitate Parentis
 Huic jam mite scholæ columen, largumque favorem
 Das & grata piis clementior otia Musis.

Mœnibus his portus statio gratissima nautis
 Et juxta adverso supereminet HILDENA portu
 Quæ tumulum ingentem compostaque Principis ossa
 Reliquias Abavi, monumentaque servat Eryci.
 Hinc gratum nemus, atque locus venantibus aptus
 Dux *Ernestus*, ubi prædam conquerire mensis
 Sæpè solet, curas dum laxat, & otia fallit.
 Et volucri præfectus equo frondentia rura
 Auritos ruit in lepores, aut dente timendum
 Sternit aprum septus telis acrique canum vi.

Itidem nec minima audit inter Academias Germaniæ florentissimas Gryphica nostra, sive ætatem, sive privilegia singularia, sive denique Doctissimos qui in ea floruerunt Viros omnium Facultatum Clarissimos respicias; sive Dicasterium Regium Wolgasto iterum huc translatum. Hæc amoenissima olim civitas per varios casus, per tot hostium invasiones & occupationes eò redacta est, ut opibus suisq; facultatibus toties exuta, ædificiis orbata, & tota ferè collapsa non sine dolore adspici possit, sed hæc omnia suo loco relinquo, & unicam cogito necessitatem, quæ circa initia præteriti seculi, quando ad ultimum detinebatur à FRANCISCO LUDOVICO PERUSIO. Italo

talo præfecto hujus urbis asperrimo, eam pressit.
 Hic præfector vulgo *PERUSI* vocatus, extrema tentabat, & integra Pomerania ope *GUSTAVI ADOLPHI.* &c. &c. Svedorum Regis Gloriosissimi à Cæsariorum tribulationibus liberata solam servaverat Gryphiswaldiam invictam, quæ ne facile impugnaretur, satis erat munita, et si omnibus aliis facultatibus ferè exuta, ob defectum auri & argenti stannum, quod erat reliquum & ad ministerium comparatum, conflare, ac ferire cogebatur, ô quanta calamitas quanta egestas! quanta pauperies! Æs, Aurum, & Argentum Flandum Ferendum deerat, Stannum ergo surrogandum suppeditabatur, quod & ipsum mox defecisset, nisi DOMINUS hanc immanitatem tanti Tyranni domasset, & eliminasset, quod & confirmat Illustris Dn. Samuel de Puffendorff in Commentario suo de rebus Suecicis lib. III. §. 6. his verbis. Restabat in Citeriore Pomerania sola Grypswalda, cui Franciscus Ludovicus Perusius præferat. Eum Bannerius, quem Rex isti oræ præfecerat, per literas solicitat, ut desperato subsidio imminentem necessitatem honesta deditio prævertat. Sed qui magnifice de Cæsaris fortuna præfatus ad extrema oppidum se defensurum respondebat. Nec segnius quam loquebatur faciebat. Nam & oppidum operis insigniter firmabat, & deficientibus nummis argenteis stan-neos

neos cudebat impresso lemitate ; *Necessitas Gryphiswaldensis*, emissaque inutili turba accurate ac sobrie annonam dispensabat, donec extrema tandem fames id oppidum relinquere subigeret. &c. Non possum non hic inserere querelam ultimi & Afflictissimi Pomeranorum Principis BOGISLAI. XIV. qui conquestus est, suam POMERANIAM per triennium velut rupem fuisse in undoso mari procellarum & fluctuum injuriis undiquaque expositam, per indictiones & superindictiones, non computatis, quæ in executionum & extorsionum effusi fuerunt sumptus, ultra decem myriades aureorum (zehn Millionen Goldes) Stettinensem Diœcesin & totidem Wolgastanam expensisse, constat ex Serenissimi Principis Pomeraniae relatione in Conventu Imperii Ratisbonensi oblata Anno 1630. cuius inscriptio est : TRICENNALES POMERANIAE AFFLICTIONES hoc est. Succincta verissimaq; descriptio causarum , quibus militaris præsidii jugum Anno 1627. Pomeraniae impositum quique ejus fructus & effectus. Datum Stettin Anno M. DC. XXX. d. 10. Augusti. Relatio hæc non sine lachrymis quidem legi potest, sed susquè de quæ habita sunt omnia, & continuata hæc calamitas duravit etiamnum Anno sequenti M. DC. XXXI. Hic noster præfectus Primarius FRANCISCUS LUDOVICUS PERUSIUS, nam secundarium habebamus Pra-

2000

præfectum HE NRICUM DRACHSTADTEN.
 Stanneos nummos plane insolitos & prohibitos re-
 gulariter flari feririque faciebat, & quidem ad simili-
 tudinem Romanorum, hi enim, ut & Galli metallum
 liquefactum typo formæque infundebant, & sic quo-
 dam modo effigiatuſ nummuſ circum circa iconio
 ferreo, seu collybeo ſubjiciebatur, eoque incuſo &
 adacto noviſſimam accuratiſimamque accipiebat ſi-
 gnaturam, & iſtaraſione effictam monetam eſſe non
 tantum illa verba *Flando*, *Feriundo*, quibus id quod
 volumus planè ſignificatur, ſed & *Romæ* ac *Lugduni*,
 in Galliâ ipſæ effoſſæ ſunt formæ, quæ liquefactum
 æſ recipiebant, prout hæc refert Celeberrimus Dn.
 Johann. Christoph. Wagenſeil. in *Tractatu de re mo-*
netali veterum Romanorum cap. 13. in princ. & hæc quon-
 dam omnia ex auro, argento, & ære, ita conſlaban-
 tur & feriebantur, ſed noſtrum Stamma ex Stanno in
 formam ſimilem infuſum & ferreo iconio tum tem-
 poris fuſſe ſignatum nos docent ſuperftites formæ o-
 richalceæ ligno inditæ, ac ferreis clavibus affixæ, tum
 iconei ferrei, è quibus tamen illi, quibus aquilæ
 velut Imperatoris inſignia ſculpti, deficiunt, ut præ-
 sumam à Cæſareanis eos fuſſe ablatoſ, ſed Gryphis
 vel civitatis noſtræ inſigniis notati nobis reliqui aſſer-
 vantur adhuc hodie in curiâ noſtrâ.

Leges quidem Imperii prohibent ſtanni conſla-
 tionem, & monetae exinde faciendæ formationem,

B

imo

de Joh.
imo pro improba accipitur ærofa talis pecunia à JCto
Scævola, in L. 102. ff. ad L. Cornel. de fallis. quamquam
non lateat , & Angliam stanneis quotidie uti num-
mis, ex quibus vidi eos, quibus Regis WILHELMI
ejusque conjugis MARIAE icones junctim expressæ ,
sed illud uti ibidem receptum ; hocque stannum et-
iam nobilius nostro est, ita quoque durabilius & non
facile deteritur, tum quoque citra necessitatem hoc
fit , quod necessitas GREIFESWALDIÆ Præfe-
ctum Generalem PERUSIUM facere coëgit.

Causa impulsiva ergò surrogandi stanni fuit ne-
cessitas , eaque non *causativa* ut Dd. loquuntur , quæ
quodammodo evitari potuit, sed *præcisa* & *absoluta*
coactionis & impulsionis à quo nemo fuit exemptus
notante Matthæo Wesenbecio juniori, Magni Mat-
thæi Senioris filio & Consiliario Brandenburgico in
*Cynosura Lyturgica de subsidiis necessitati publicæ feren-
dis. conclus. II. num. 3. & 4. add. concl. III. & IV.* Omnes
enim, qui in hac civitate superfuerunt stannum suum
ad flandum feriendum proiut relatum habeo, confer-
re , & collybistis tradere coæti sunt.

Icon & inscriptio uti distinguunt monetas *Matth.*
XXII, v. 20. ita in nostra quoque idem præstabant: u-
na enim in facie videbatur Aquila biceps Sacri Ro-
mani Imperii insigne cum epigraphe FERD. II. ROM.
IMPER. AUGUST. i.e. FERDINANDUS II. RO-
MANORUM IMPERATOR AUGUSTUS, in al-
te-

ter facie cernebatur insigne Civitatis hujus perantiquum , nempe Gryphes trunco revirescenti instans cum Lemmate hocce (A) NECESSITAS GRIFES-WALDIAE , vel (B) NECESSITAS GRIFES-WALDENSI S. Sunt enim quatuor eorum genera, quorum inter duobus Majoribus IV. & III. inscriptio sub A.

A.



Et duobus minimis II. & I. inscriptio sub B. est impressa.

B.



B 2

Omni-

Omnibus verò speciebus additus est numerus Anni nempe 1631. Duplex itaque inscriptio tam Imperialis , quam Civitatis multa significat, illa nempe Imperialis summam potestatem Legesque Imperii Civiles Ordinarias superantem , nec Præfectum hunc PERUSIUM maximè strenuum suo , sed Cæsaris sui nomine tam necessarium monetæ genus , qui scil. ut prudentissimus non immemor erat, ipsi ut Cæsaris Legato hoc jus monetandi quidem , non autem ut soli Præfecto, sed solum suo Principi aliis in provinciis competere vid. Petr. Gregorius Tholosanus lib. 36. Syntagm. jus univers. cap. 2. n. 29. Joh. Althus. Dicæolog. lib. 1. cap. 5. num. 39. Ideo nomine Principis sui, ut summi Imperatoris utebatur ejusque autoritatem maximè prætexebat; Non immemor forte , quod COMMODUS Imperator Familiarem suum Perennium capitis poena affici jusserit, quod publicos nummos sua imagine signasset, juxta Herodianum in COMMODO. Idem de Rege Persarum refert Herodotus , qui parem ob causam Ariandrum Præfectum suum securi percuti jusfit; Referente Arnaldo Clapmar. de Arcanis Rerum public. lib. 1. cap. 16. Imperator his insignitus fuit Autor belli tricennialis Germanici FERDINANDUS II. Antecessoris sui MATTHIÆ Confobrinus , de cuius uncialium insignitionibus variis legi meretur Dn. Jacobi à Mellen Sylloge numorum ex argento uncialium à pag. III. ad pag. 120. Et singulare est, quod

quod Imperatoris hujus non itidem, ut in uncialibus & aliis monetarum generibus fuerit impressum, sed ejus loco insigne nostræ civitatis repositum, nec Aquila Imperii, hujus ducatus, ut aliorum, sed nostræ aliud commune insigne præter Gryphem ipsi competens campum scilicet velut ad dimidium vacuum, ad dimidium vero cancellatum gestet, quod alias Aquila in capite quidem coronatus, sed tamen in pectori scutum non coronatum gerat, neque gladio, sceptroque aut torque ordinis aurei Velleris decoratus reperiatur: Quo ipso ut & altero civitatis nostræ magis proprie insigni Gryphe scil. jus monetandi, civitatis nostræ ipsi conservare, nec tale jus quæsum, quod antiqua Domus monetaria vulgo die alte Münze in platea illa quæ vulgo die Knopfstraße audit ut & Duumviri Monetales die Münz-Herren / in nostris statutis, præter specialia super hoc iure monetandi existantia privilegia, præterque argenteos in hac Urbe cudos solidos, quorum una facies Gryphem, altera scutum simile, quod aquilæ pectori inditum repræsentat, auferre voluit: Hoc insigne Gryphis ab ave notissima fuit inditum, fortè quod hanc Princeps ita concederit huic Civitati pro insigni & quidem non nudam, sed stantem super truncō deciso, iterumq; revirescente. Faxit DEUS O. M. ut hæc detruncta & diruta civitas revirescat, & reædificetur, velut olim servi Dei de sancta sua Jerusalem vovebant.

B 3

Psalm.

Psalm. CII, vers. 19. & Psalm. LI, vers. 20. Ast solamen
 cum sit miseris socios habuisse malorum, similia quæ-
 dam aliis quoque civitatibus quæ contigere fata sub-
 jungam; parem siquidem inscriptionem in Uncialibus
 Bommeliæ civitatis Betaviæ argenteis præcedente se-
 culo nempe anno 1599. sub Admirante Arragoniæ
 Don Francesco de Mendoza cūsis repperi nempe
 DURÆ NECESSITATIS OPUS. De qua inscriptione vid.
 Autor der Historischen Remarquen sub dato. d. 27.
 Junii 1702. Similiter Urbs Breda cudi fecit duas spe-
 cies, in quarum majori hæc inscriptio legitur: NECES-
 SITATIS ERGO BREDAE. In minori non dissimilis exhib-
 etur. h. m. IN NECESSITATE BREDA Anno 1578. vid.
 Autor der Historischen Remarquen sub dato d. 3.
Octobr. 1702. pag. 315. in fin. & seqq. ubi hujusmodi ne-
 cessitatis nummi communi voce appellantur Klip-
 ping. sed his ne prolixius inhæream, eo lectorem re-
 mitto, & pergo ad ponderis descriptionem.

Pondo autem ne omittam nummorum, qui pri-
 mi & minimi generis sunt, unam unciam, qui secun-
 di duas, Tertii tres, & quarti quatuor uncias te-
 nent, ita ut singulae unciæ assem valuerint, & sic libra
 stanni signati das Pfund der Zinnern Münze / pre-
 tio sedecim assuum Sundensium, vel octo Lubecen-
 sium fuerit aestimatum, vel diributum, ita ut hoc mo-
 do valor rei internus non adeò fuerit diminutus.

Annus fuit. M. DC. XXXI. primus post primum ju-
 bilæum

bilæum Lutheranum , & vere liberatorius, ita ut etiam memorabilis nobis manserit talis, dum quotannis liberationis hujus memoriam DEO Servatori nostro celebramus, prout Majores nostri voverunt, & oblationes colliguntur inter Pastores , Ludimagi-stros, Vidiwas, orphanos & pauperes dividendæ quod & annotavit. B. D. Franciscus Stypmann in tract. de Salar. Clericor. cap. 3. n. 106.

Quomodo autem liberata fuerit hæc nostra ci-vitas oppressa ab urgente necessitate cum alii jam in compendio retulerint, iis placet magis uti, quam meis. Ita autem B. Dn. Doct. Johann Micrælius, libr. V. der Pommrischen Jahr-Geschichte / ad Annum 1631. pag. 285. seq. hac de re scripsit his verbis: Ehe aber dersel-bige höher ins Deutschland rückete / kam er zum andern mahl in Berlin / trass mit dem Chur-Fürsten gewisse Nichtigkeit. Gieng drauf zurücke / die Belagerung zu Greifswald / die amnoch allein in Pommern von den Käyserl. gehalten ward / zu befodern. Schickete Alchatium Tott / Generalen über die Cavallerey/ vor-her / der die Sache so bescheidenlich führte / daß der Oberste Commendant darin/ Franz Ludewig Perusi/ ein Italiener / als er sich zu weit auf einer recogni-tion fürm Beckerthor vom Haufen herfür thate/ aus einem Hinterhalt erschossen / und die übrige drinnen unter Hauptmann Heinrich Drachstädtten zum Al-cord genötiget wurden. Also ist nun die Besatzung mit

mit dem todten Körper ihres Obersten aus Greiffswald ausgezogen / und hat die Posten unverschret geliefert / daß nunmehr ganz Pommern von den Kaiserlichen quitiret worden. Der König ist nach gemeldten Abzug Persönlich in Greifswald eingeritten / hat selbst mit einer Lateinischen Oration geantwortet / als ihm die Professores gratuliret / folgends die Wercke der Stadt besichtigt / und sie gut befunden. Dann der Oberster Perusi hatte sie sehr befestiget / und vermeinete sie lange zu halten : Hätte auch deshalb in Mangelung Geldes / damit er seine Soldaten bezahlte / von den Bürgern Zinnerne Münze schlagen lassen / und dieselbe in der Stadt gang und gebe gemacht / wie man noch zum Denckzeichen sie vorzeiget / mit dem Gepräge: *NECESSITAS GREIFSWALDENSI*. Die Besatzung ist nach ihrem Abzug / weil sie den Accord übertraten / vom Obristen Hallen / und drey Regimentern / in Prigniz' ange sprenget / und theils auffgerieben / theils untergesteckt. Et illustris Dn. Samuel à Pufendorff in dicto *Commentario de Rebus Svecicis ab Expeditione Gustavi Adolphi in Germaniam ad abdicationem Christinae lib. 3. §. 18. pag. 47. & seq.* his adstipulatur, ideo & ejus verba subjicio. Ita Autor Illustris *ibidem*: Hinc ad urgendum Grypswaldæ obsidium abiturus erat, quæ sola Cæsareis in Pomerania restabat: verum rem sperato citius confectam reperit. Nam Achatius Totius

tius , cui ejus obsidii cura demandata fuerat , equites nonnullos exploratum circa oppidum præmiserat , in quos ipse Perusius præsidii Præfектus longius quam par erat , progressus impingitur , ac diffugientibus qui comitabantur Croatis occiditur , eam laudem meritus , quod optime omnium è Cæfareis Ducibus stationem suam in Pomerania defendisset . Præsidarii tamen amissio quantumvis strenuo Duce , aduersus adventantem cum exercitu Tottium ferociam primo ostentare , & acri eruptione in subeuntem peditem decertare . Sed prostridie animis lapsi honestas conditiones paci oppidum dedunt : in quo munitiones , & alia ita præclare disposita reperiebantur , ut si Perusius vixisset , aliquot mensium obsidionem tolerare potuisse videretur . Cum autem præsidarii , quibus tutum iter Rostochium versus promissum erat Havelbergam tenderent , superveniens Tribunus Hallius equites dissipavit ; pedites mille quingenti arma deponere jussi pleriq; sacramento Regis accessere &c . Hactenus Illustris Dn . Puffendorffius .

Multa incommoda hujusmodi Necessitatis causa conflati nummi adferuntur , nam necessitas legis expers ita suadet , ut usualis moneta mercato veniat Gänge und Gebe bleibe / cessante vero necessitatis causa , vel indigentiae tempore , ea quoq; vel redimatur , aut reluat , vel quoq; prohibeat velut ærofa , prout in genere hoc observavit Autor der Historischen Remarquen supra

C

citato

citato loco p. 313. seq. ut & Excellentiss. JCtus Dn. Caspar Ziegl. in Elegantiss. Tract. de Jurib. Majestatis lib. I. cap. 49. §. 17. & 18. ubi §. 19. inquirit in verum intellectum effati Ulpiani in L. 9. §. 2. ff. ad L. Cornel. de fals. inquietis: *Eadem Lege exprimitur*, ne quis nummos stanneos plumbeos emere vendere dolo malo vellet, nec est, ut cum Barnaba Bryssonio, Selectar. Antiqu. lib. I. cap. 8. & post hunc cum Dionys. Gothofred. ad d. L. 9. recurramus ad nummos Darios, Philippos, & alios peregrinos, cum hoc quotidie fieri videamus, & innocenter, sed hoc saltem vult JCtus ibid. ne *dolosè supponantur*. vid. Recess. Imp. Augustæ Vindelicorum Anno 1551. compositus. §. 37. *in fin.* Doli enim coercitio maximè intenditur, ne quis facile decipiatur sub specie recti, prout integer titulus ad L. Cornel. de Falsis hoc demonstrat. v. gr. mutatio nominis est cuivis permissa; sin vero haec fiat ad decipiendum proximum, aut ad simulationem alterius, aut ad fallendum, in crimen falsi incidit. L. unic. C. de Nominis mutat. similiter aerosam & ex prohibita materia conflatam pecuniam supponens & divulgans: Principi enim maxime competit, ut integra illibata & incorrupta moneta ubique asservetur vid. dict. Recess. Imperii de Anno 1551. §. 45. seq. Stannum vero omnibus aliis metallis inimicum esse censetur, ac in mixtulis cum reliquis metallis quasi lethiferum existit venenum, ita ut ea perdat, destruat, atque corrumpat; Testanturque rei tormentariae magistri in mixtu-

ra

ra bombardaria , ex qua scilicet instrumenta bellica fabriunt , dum singulis libris viginti æris una plumbi candidi additur æs prorsus lentescere & in se ipso mutari ; Dum igitur duritiem non habet stannum & aliorum metallorum qualitates non admittit , æquè tractabile illud , uti aurum , argentum , & æs dici nequit , ut bene observavit prælaudatus Dn. Casp. Ziegler . d. Tract. §. 18. imò hoc vile & mollius metallum , ut ante dictum illud nobilius , maximè argentum destruit ac minuit vel multa ex parte annihilat , ut sèpius conquesti sunt argentifabri & monetales , si præter opinionem vel minimum plumbi aut stanni admistum fuerit argento , tum in liquefaciendo , velut fumum effugisse generosius metallum ; es sey das Silber verrauchet und verschwunden : imò gravitas & ponderis excedens moles præ auri & argenti quantitate inæquali & commodiori multum molestia negotiatoribus excitat ; Hodie nostri Necessitatis Greiffeswaldiæ nummi stanee sunt rarissimi : ut vix haberi possint , & vel injuria temporis vel incuria incolarum passim perierint . Fxit Deus Optimus Maximus , ne similis vel alia necessitas nostræ civitatis pomæria tangat , aut nos nostrosque successores unquam angat , ut stannum pro argento flari feririq ; videamus aut necesse habeamus . Hisce duo adhuc addenda esse censeo : Unum pro declaracione ejus , cuius neminit Illustr. Dn. Puffendorfius supra p. 6. citato loco . Quod noster PERUSIUS inutilem turbam emiserit , sicque accurate & sobrie annonam dispensa-

AKTn 3362

x 2983404

88 (18) 88

saverit; scilicet modum emitendi vel ejiciendi hanc turbam. Evidem audivisse memini, hunc PERUSIUM egenos & pauperes ad recipiendum panem per præconem ad certum templum heic convocari jussisse & his copiose congregatis panes diribuisse, acceptis autem iisdem gavilos citò urbe ejecisse multorum de pauperatorum parentum cum insigni dolore, quod ita suis liberis, quibus querendi panis causâ simul accedere permiserant, tam insperato orbarentur, dum subito urbe ejiciebantur hi miserrimi homines. Quanta enim hæc fuit immanitas! quanta hæc Tyrannis! quanta miseria! quantus dolor! nec dicam de aliis ipsius tyrannicis gestibus, quam crudeliter cives nostros preffserit, quam insolitis operis eos gravaverit, ac durissimis & capitalibus penitus etiam in minimis delinquentes affligere non dubitaverit. Et alterum erit, quod hic noster PERUSIUS, ut relatum habeo, adeo desperati fuerit consilii, ut pulvere tormentario incendendo se ipsum cremare, & civitate exustâ eandem relinquere, quam in columem victori permettere se malle ferret. Sed ipsius mors insperata hoc extremum antevertit, ac avertit; dum præter omnium opinionem tam cito secuta fuit hujus Civitatis liberatio exoptata, pro qua immensæ gratiæ divinæ adhucdum summas laudes, & Fortissimi Liberatoris Regii Successoribus infinitam devotionem debemus, quibus ad ultimum parendi relicta est gloria.

F I N I S.

VD18



7.
STAMENA G
 Quo
NECES
GREIFESW
 ve
GREIFESW
Anno liberationis suæ,
 M DC XXXI.
 Descrip
 à
NICOLAO M
 D. & C

GRYPHISW
 Typis GEORGII HENRICI

